



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regulae Societatis Iesu**

**Angeli, Bernardo d'**

**Romae, 1616**

De ordine domestico. Cap. V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](#)

quam huic muneri deesse debet; si quando tamen per officij sui occupationes licebit, & concionari, & confessiones audire, & alia Societatis ministeria exercere poterit, ac debet.

*De ordine domestico.*

C A P . V.

Sacrum quo-  
tidie audiendum.

49 **Q** Votidie post orationem matutinam fiat sacrum, cui intersint omnes, qui Sacerdotes non sunt; nisi aliquibus propter peculiares causas aliud tempus ad sacrum audiendum concessum sit.

In oratione,  
et examine vi  
sitandum.

50 Tempore orationi, & examini assi-  
gnato sit aliquis, qui obseruet, num omnes  
ij vacent, quod & Minister ipse aliquando  
faciat, & Præpositus huic rei diligenter in-  
uigilet.

P. 3. c. 1. S. 16.  
et p. 4. c. 10.  
S. 7.  
Syndici officium.

51 Syndicum Domi constituat, vbi Mi-  
nistri aut Subministri opera ad id non vtere-  
tur, cuius officium erit obseruare in omni-  
bus, quod ad honestatem, & decentiam ex-  
ternam pertinet, ecclesiam, & domum in lo-  
cis publicis perlustrando, & si quid, quod  
non conueniat, annotauerit, Superiori refe-  
rendo.

Qua hora ad  
cœnam, et cu-  
bitum eundū.

52 A posteriore prandij signo ad cœnam  
octo ut minimum horæ intersint: aliquid ve-

ro

ro amplius vsque ad refectiunculā diebus Veneris, & iejuniorum, iuxta morem regionis; à P.3.c.2. lit.E. tempore autem, quo se nostri cubitum receperunt vsque ad signum, quo excitātur, septē.

53 Benedictio, & gratiarum actio in refectorio iuxta usum Breuiarij Romani in prima mensa fiant: in secunda vero, & priuata, retineri possunt antiqua benedictio, & gratiarum actio, quæ à singulis submissæ, & stando fieri debent.

54 In mensa Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos; sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, ullus ordo constituatur.

55 Si aliqua de causa Præpositus primæ mensæ adesse non poterit, curet, ut Minister adsit.

56 A prandio & à cœna hora vna, diebus autem Veneris post collationem vespertinam dimidia recreationi religiose impendantur, idque in uno loco, si commode fieri poterit: sed neque extra huiusmodi horas labores nimium continuari, sine aliqua conuenienti relaxatione, finat.

57 Conferentia casuum conscientiæ bis singulis hebdomadis habeantur, quibus Sacerdotes omnes, qui commode poterunt, interesse debent Præside docto aliquo, qui ea, de quibus agetur, luculentius explicare, ac definire possit.

Can.6. Con-  
greg. I.

Benedictio  
mensæ, et grā-  
tiarum actio.

Can. 30. Cō-  
greg. I.

Ordo in ea  
seruandus.

Adsit primæ  
mensæ Minis-  
ter.

P.3.c.2. lit.D

Horæ recrea-  
tionis.

Conferentia  
casuum con-  
scientiæ.